



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

IV. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Franciscus cœlestis inter homines Angelus,  
& homo Angelicus, totus in Mariæ amore  
Seraphicus, ante festum Assumptæ 40. diebus  
jejunabat, semper Deiparæ iconem gestabat in  
pectore. Eger cor suum post mortem ad ædem  
Mariæ de Portiuncula deferri voluit, ubi illud  
Angelicis manibus sepultum creditur. *Ex vi-  
ta. Ubi thesaurus, ibi cor tuum.*

O S. Franciscè qui per B. V. à Christo in-  
dulgencias impetrâsti, ora pro me Deipram,  
ut priusquam moriar, integram peccatorum  
meorum consequar indulgentiam; agnosco  
animam meam mille iniquitatum ream, spe-  
ro tamen, quòd ut Maria intercedente tu orbi,  
ita & mihi gratiam & veniam delictorum im-  
petrabis. O Sanctissima DEI, & mea, Ma-  
ter pretiosissima! ego N. indignissimus  
filius tuus ex toto corde, omnibusque tam  
corporis, quàm animæ &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: has per Mariam  
impetratas indulgentias hodie lucrari cona-  
bor.

Maria est sabbathum nostrum, quo requiesci-  
mus, solis dies, quo illustramur; lunæ, quâ be-  
nignè reficimur; Martis quo & certamus &  
vincimus, Mercurii, quo sapimus; Jovis quo  
letamur; Veneris denique dies, quo castè ama-  
re didicimus. *Salazar.*

Quæstio: An B. V. dare possit peccatorum  
indulgencias?